









4  
1791 2  
2

VARIAE IVRIS OBSERVATIONES

---

Q V A S

PRAESIDE

CHRISTIANO GOTTLIEB  
HOMMELIO D.

DIG. INF. ET NOV. PROF. PVBL. ORD. CVRIAE PROV.  
ELECT. SCABINAT. ET FACVLTAT. IVRID.  
VITEMB. ASSESSORE ORDIN.

DIE XXIII. DECEMBRIS A. R. S. MDCCXCI.

H. L. Q. S.

DEFENSVRVS EST

A V C T O R

CAROLVS FRIDERICVS MARSCHNER

PRETSCHA - LEVCOPETRENSIS.

---

VITEMBERGAE,

LITTERIS TZSCHIEDRICHII.







VIRIS

PERILLVSTTRIBVS ATQVE GENEROSISSIMIS  
DOMINIS

DOMINO

CAROLO AVGVSTO  
A SCHOENBERG

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE A CVBICVLIS ATQVE STEVRA-  
RVM DIRECTORI SVPREMO, NEC NON DYNASTAE IN MEINE-  
WEH, SCHLEINIZ ET HOLLSTEIZ ETC.

ATQVE

DOMINO

ERNESTO FRIDERICO  
A MARSCHALL

POTENTISSIMI REGIS BORVSSORVM MAIORI, NEC NON DYNASTAE  
IN PRETZSCH, KVEKAV ETC.

MAECENATIBVS SVIS OPTIMIS MAXIMIS





VIRIS

HOC

QVALECVNQVE SPECIMEN  
IN VENERATIONIS SVAE TESTIMONIUM

SACRATVM

ERNESTO FRIDERICO  
A MARSCHALLI

DEVOTISSIMO ATQVE OBSTRICTISSIMO

CAROLO FRIDERICO MARSCHNER.







OBS. I.

*Qui uxori Saxonicae pecuniam credidit, quam illa in ludo publico, vulgo Lottarie dicto, collocavit, illi non competit actio, licet vxor ex illo ludo magnum lucrum perceperit.*

**V**xor quaedam, lucri cupiditate capta, ante aliquod tempus, infcio marito, ducentorum thalerorum mutuum contraxerat, omnemque hanc pecuniam Lottariae commiserat. Neque hoc fecerat inuita fortuna, cum quingenti thaleri ipsi sorte tribuerentur. Iam creditores restitutionem mutui dati reposcebant, quam vero tam vxor, quam eius maritus denegabat. Merito igitur



quaesueris, vtrum creditoribus spes recuperandi superstit? Quodfi  
 ius commune spectes, vt vxor pecuniam mutuo acceptam restituat,  
 posse cogi, facile concedo, quoniam nulla lege vxor, etiam infcio  
 marito, mutuum contrahere prohibetur, idque etiam vsu forensi  
 comprobatum esse, testatur Bergerus in *E. D. F. tit. 8. obs. 6. n. 3. et*  
*in E. P. E. pag. 20. vbi asserit: iniustum esse, foeminas ab omni com-*  
*mercio excludi. Sed paulo aliter circa hanc quaestionem Iure Sax.*  
*El. est philosophandum, quo vxores per dispositionem Const. El. 15.*  
*P. II. Dec. El. 24. itemque per Mandat. d. d. 18. Novbr. 1722. quod ad-*  
*iectum est O. P. R. sub N. 12. absque mariti praescitu, mutuum ac-*  
*cipere expresse prohibentur. Prouocabis vero forsitan ad verba*  
*Rescripti d. d. 1. Iul. 1723. vbi haec: Und Wir denn geschehen lassen kön-*  
*nen, daß ein Gläubiger, in soweit durch sein Vorschuss das Vermögen eines*  
*Eheweibes realiter vermehrt und verbessert worden, mit seiner Klage zwar,*  
*iedoch anders nicht, als wenn in solcher, wie und auf was Maasse die Ver-*  
*besserung geschehen, mit deutlicher Anführung genug samer zu deren Erhärtung*  
*dienlicher Umstände exprimiret — — gehöret werden möge. Ecce, inquis,*  
*ex exemplo allato satis elucescere, per pecuniam mutuo acceptam,*  
*Lottariaeque commissam vxoris conditionem meliorem redditam esse,*  
*atque creditorem has circumstantias ex praescripto legis citatae in*  
*libello exprimere et facillime probare posse. Porro vrge lufum, in*  
*quo foemina pecuniam mutuum collocauit, ob legis approbationem*  
*licitum fuisse, lucrum inde perceptum adhuc existere, nec leges pati,*  
*vt quis alterius damno locupletior fiat, §. 6. Inst. de oblig. quas quasi*



*ex contr.* Ast prorsus negamus, creditorem pecuniae in casu allato  
 versionem in rem vxoris posse probari. Nemo enim non videt, pe-  
 cuniam ipsam a creditore datam in vxoris rem versam non esse, sed  
 eam solum per indirectum emolumentum ad vxorem peruenisse.  
 Aliud autem est, mutuum acceptum in vtilitatem vxoris esse erog-  
 atum, et aliud, si intuitu eiusmodi mutui commodum perceperit.  
 Priori casu in Rescripto citato actio conceditur, non autem posteriori,  
 atque hoc Rescriptum strictae esse interpretationis, propterea opi-  
 nor, cum exceptionem contineat a legibus supra allatis, quae in  
 genere vxoribus sine consensu mariti mutuum dare interdicit. Prae-  
 terea emolumentum, quod vxor, cuius saepius feci mentionem, ac-  
 quisuit, non nisi a casu fortuito proficisci, nemo in dubium voca-  
 bit. Et ne forsitan plures vxores hoc exemplum imitentur, eoque  
 modo maritorum statum deteriorem reddant, merito eiusmodi cre-  
 ditoribus, quoniam res mali exempli est, eo magis denegandam esse,  
 credo, actionem, cum alias vtilitas publica non promoueretur,  
 quae tamen suprema lex est.



*Subditi, diebus feriatis diuinis per legem aliquam nouam sub-  
latis, dominis iurisdictionis, ut operas praestent, cogi  
nequeunt, licet ad indeterminatas operas sint  
obligati.*

Fridericus Magnus quondam Borussiae rex, aliique Ger-  
maniae Principes probe obseruarunt, nimias ferias diuinas repu-  
blica parum prodesse, sed desidii, saltationibus, iustibus, aliis-  
que abusibus, commodam praebere occasionem, easque ob rationes  
multorum dierum festorum cultum interdixerunt, et alios etiam  
coarctarunt. Multi tamen rustici homines partim ob supersti-  
tionem, partim ob assuetam negligentiam, has saluberrimas sanctio-  
nes eo eludebant, ut, non obstante prohibitione, per istos dies laute  
viverent, atque a laboribus abstinere. Ut vero eiusmodi sanctio-  
ni subditi facilius obtemperant, nuper Hassiae princeps serenissimus  
per specialem legem de anno 1789. in terris suis praecepit, ut sub-  
diti, feriis sublatis, operas praestare debeant. En ipsa verba le-  
gis: *So finden wir uns gütlichst bewogen, einen Mißbrauch der dritten  
Feyertage Einhalt zu thun und in dieser Absicht zu verordnen, daß sämt-  
liche Unterthanen, bey Vermeidung empfindlicher Strafe, sich an ienen  
Tagen dem Müßiggang nicht weiter ergeben, sondern ihren Geschäften  
und aller gewöhnlichen Feld- und Handarbeit, so wie denen dem dienstba-  
ren*



9

*ren Unterthanen obliegenden Frohnden an den abgeschafften dritten Feyer-  
tagen sowohl, als wie an allen andern Tagen der Woche, unterziehen sol-  
len.* Sed quaeritur, virum etiam iis locis, vbi subditi, qui ad  
operas indeterminatas obligati sunt, a dominis iurisdictionis cogi  
possint, vt diebus quondam feriatis et legibus recentioribus. subla-  
tis operas praestent, si ipsis per specialem legem non sit iniunctum.  
Vt sententiam affirmatiuam intuearis, prouocabis forsitan ad ratio-  
nem legis generalem, vi cuius subditi, feriis mutatis, laboribus  
incumbere tenentur, et nonne eo, inquis, si eiusmodi diebus domi-  
no iurisdictionis operae praestentur, facilius principis voluntati  
satisfiet? Praeterea quis dicat, indeterminatas operas, pro arbi-  
trio domini, quouis tempore exigi posse, et hinc non esse dubium,  
quin dominus diebus, quae non amplius cultui diuino inferuiunt,  
operas exigere queat. Verum enim vero hae dubitandi rationes  
non tanti ponderis sunt, vt refelli non possent. Ex eo enim, si  
princeps iubeat, vt feriae quaedam non amplius celebrentur, non  
sequitur, vt eiusmodi diebus subditi dominis iurisdictionis inferui-  
ant, cum potius in eorum fauorem istae dies introductae et pro-  
priis laboribus relictae censeantur. Nec sinunt leges, id, quod in  
alicuius fauorem introductum est, in eius odium detorqueri. De-  
inde prorsus falsum est, domino, cui ius indeterminatas operas exi-  
gendi competit, licere quacunque ratione et quouis tempore pro  
arbitrio operas postulare, quoniam etiam seruitia indeterminata  
ex consuetudine loci, more regionis, vel arbitrio iudicis, aut boni

B

viri



---

viri aestimari oportet vid. Carpzov. *L. 1. Resp. 54. n. 8.* Bergeri *O. I. L. 1. Tit. 2. th. 8. n. 1.* Iam, teste illustri Schottio, in *Inst. Iur. Saxon. pag. 94. et 97.* ius exigendi a rusticis operas lege, pacto atque praescriptione acquiritur et igitur cum lex, quae operas praecipit, tantum de iis diebus, quae tempore publicationis seruitiis destinatae erant, accipienda sit, et pacta ad non cogitata extendi nequeant, secundum expressam dispositionem legis *5. π. de Transact.* atque praescriptio ultra actus intra tempus legitimum gestos extendi nequeat, analogia iuris non patitur, in casu praesente, subditos ad operas praestandas cogere. Accedit, seruitia rusticorum, quoniam libertatem restringunt, strictae esse interpretationis et dominus prohiberi sub praetextu indeterminatorum modo aut tempore insolito subditos operis gravare, vid. Carpzov. *l. c. n. 26.* Tandem in dubio secundum libertatem pronuntiandum esse discimus ex *Lege 20. D. de R. I.*

---



## OBS. III.

*Singularis mutui species.*

Metallicus quidam ante triennium integram vniuersitatem  
 rusticorum congregauerat in caupona atque enarrauerat, in sylua  
 aliqua thesaurum latere et a diabolo custodiri. Neque hunc pe-  
 cuniae cumulum a diabolo, aiebat, redimi posse, nisi oblata sum-  
 ma centum thalerorum. Auri sacra fames istos homines credulos  
 eo mouebat, ut suafu reliquorum scultetus illam summam toti  
 vniuersitati tanquam mutuum crederet et metallico traderet. Hoc  
 lytro instructus metallicus, quem tota vniuersitas sequebatur, syl-  
 uam petebat. Praemissis quibusdam incantationibus magicis, dia-  
 bolus quidam cornutus, magnam ollam, corio inciso testam, manu  
 tenens, comparebat. Per istam incisionem corii nummi micabant,  
 et sine mora metallicus istud mutuum a rusticis acceptum, pro  
 redimendo thesauro, diabolo offerebat. Annuit diabolus precibus  
 atque metallico ollam cum opinato thesauro exhibuit. Iam me-  
 tallicus vni concomitantium ollam tradebat et dum in terminis syl-  
 uae ambulabant, praeter spem diabolus redibat atque metallicum  
 e societate tollebat. Rustici, thesauro accepto, metallicum parum  
 curabant et etiam metu correpti fugiebant. Conspiciebant vero,  
 prohi dolor! cum ollam domi aperirent, partem arenae, cui mo-



neta adulterina imposita erat. Diabolus ille focus metallici fuerat, qui, cute bouili circumdatus diaboli, formam induerat. Fraude nunc comperta, creditor sculterus mutuum datum a reliquis vniuersitatis membris reposcebat, sed reliqua membra restitutionem denegabant. Et, vt ego opinor, non sine ratione. Tenetur enim creditor in exemplo praesenti ipse fateri, se ob turpem et iniustam causam dedisse, quo casu repetitio illius, quod datum est, cessat, arg. *L. 5. C. de conditione ob turpem causam*. Creditorem nostrum vero ex turpi et iniusta causa dedisse, probatur ex *L. vii. C. de thesauris*, vbi, artibus illicitis thesauros quaerere, interdictum est, et qui incantationibus magicis, sacrificiis et ope diaboli thesaurum inuenire somniat et conatur, delictum committit, *L. 5. et 6. C. de maleficio*. Quin imo in specie enarrata aliud cernitur delictum. Quaesiuerant nimirum rustici nostri thesaurum in sylua aliena, quod vetitum est *L. cit. C. de thesauris*. Denique perinde erit, ac si dixeris, sculterum nostrum hominibus perdituris credidisse, quo in casu etiam nulla competit actio, arg. *L. 12. §. ii. D. Mandati*. Simile exemplum est in eo, qui ad lusum illicitum pecuniam creditur, quippe cui nulla competit actio, ad pecuniam recuperandam, quod arg. *L. 1. §. i. C. de Aleat.* asserit Berger in *O. I. L. 3. Tit. 10. th. 7. n. 4.* idemque Leyser in *med. ad D. sp. 126. cor. 1.* adde apud nos *Mand. vom Hazard-Spielen d. 20. Decbr. 1766.*

vbi



vbi omnis obligatio, quae ex lusu descendit, prorsus improbatur. Hinc colligo, repetitionem pecuniae mutuae ad finem illicitum datae et ad factum contra legis prohibitionem suscipiendum semper cessare, quoniam is, qui pecunia adiuvat factum illicitum, socius criminis est, et ideo actione, tanquam iuris beneficio, indignus videtur. Hoc sit isti rusticano creditori solatio. Attamen obicias forsitan; in delictis puniendis rusticitatis rationem haberi atque iuris ignorantiam rusticis prodesse. Ast sciendum est, summam tantum et non nisi interdum solam rusticitatem a poena ordinaria excusare, et ignorantiam iuris demum prodesse, si peritiores consulti non potuerint. Berger *O. I. L. 3. T. 8. th. 4. n. 2.* Exigit tandem salus reipublicae, vt superstitiones exstirpentur et vt homines, licet etiam vnus dammo fiat, in posterum cautius mercari discant.



*Legatarius, qui templum exstruere iussus est, adimpleuit modum, licet templo turrim non adiecerit, nec nocet, si templum viuo adhuc testatore fuerit exstructum.*

Legauerat aliquando testator orphanotropheo pecuniae quantitatem sub hoc modo, vt templum igne combustum iterum aedificaretur. Viuo autem adhuc testatore partim sumptibus orphanotrophei, partim ex aere alieno contracto, templum iam erat restauratum. Post mortem testatoris dubitabat heres, an legatum peti posset, cum modus legato adscriptus non amplius posset adimpleri. Soluebat tamen legatam quantitatem hoc nouo modo addito, vt orphanotropheum penes templum turrim excitaret, quae adhuc deficiebat. Vt vero legatum ab herede renuente peti potuisset, ex analogia iuris facile demonstrobo. Ecce verba *L. 10. §. 1. de cond. et demonstr.* vbi Vlpianus haec tradit: Si legatum sit, si nauis ex Asia venerit, et ignorante testatore venerit testamenti facti tempore; dicendum, pro impleta haberi. Et si cui sic legatum est, cum pubes erit, simili modo hoc erit dicendum. Porro audi Pomponium in *L. 14. D. eod.* Titius, si  
statuas



statuas in municipio posueris, haeres esto: si paratus est ponere, sed locus a municipibus ei non datur, Sabinus, Proculus, heredum eum fore; et in legato idem iuris esse dicunt. Ingenue quidem fateor, has leges non de modo, sed de conditionibus loqui, at, quis vetat, etiam modum impossibilem, conditionis instar pro non adiecto haberi? Neque hoc ab analogia iuris est alienum. Censetur enim etiam modus impletus, si per legatarium non steterit, quo minus implementum sequatur, arg. *L. i. C. de his quae sub modo*. Et quis eodem loco ponat aedificium, ubi iam extat? Hoc fieri nequit, siue sub conditione, siue sub modo testator ita voluerit. Quin imo in casu supra relato quoque accedit, templum partim sumptibus orphanotrophei, partim ex aere alieno esse factum, et testatorem hoc noluisse manifestum est. Nunc restat, quid circa turris constructionem iustum sit? Equidem plerumque turrim cum templis coniunctam videmus, tantum tamen abest, ut turris ad templi substantiam possit referri. Sunt enim templa aedes Deo eiusque cultui publico dedicatae et vrbibus humanis exemptae, vid. Ill. Praef. Princ. Iur. Eccl. C. 12. §. 2. sed nulli turris ad cultum diuinum requiritur. Verum, inquis, in turribus campanae afferuantur, quibus membra ecclesiae, ut Deum colant, publice vocentur, cum vero aliis modis quoque, quam per  
 campa-



---

campanas parochiani congregari possint, nec opus sit, ut campanae necessario in turribus suspendantur, imo saepe usus campanarum iis, qui peregrinam religionem fatentur, legibus interdicatur, sequitur, ut orphanotropheum nostrum ab turris exstructione merito liberetur. Tandem memento, in exemplo nostro non testatorem, sed heredem turris exstructionem praecipisse; heredi vero non licere, legis novas addere condiciones, vel modos, ex eo probatur, quia non heredis, sed testatoris voluntati obtemperandum est.

---



Wittenberg, Diss., 1791

ULB Halle 3  
002 109 840



sb.











# DFG

**Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt**

Digitalisierung von Drucken des 18. Jahrhunderts


PPN 318582899

## **Variae Iuris Observationes**

Hommel, Christian Gottlieb (Vitembergae 1791)

**Wittenberg, Diss., 1791 (4)**

**UBMAG**



318582899

Visual  Library

